Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38233
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

contendit, ut et dei providentiae devotus existeret, et hominibus
caritatis officium exhiberet; Tempore enim inquid accepto exaudi
vi te, et in die salutis adiuvi te; Hoc scriptum est in Esaia propheta. Praedis
tinatam docet gratiam dei in tempore Christi; Sic enim decrevit deus affluere
misericordiam suam, ut nomen Christi poscentibus auxilium largiretur;
Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam
offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum; Tempus adesse dicit,
quo possint ad indulgentiam proficere peccatores; Tempus adesse dicit,
quo mortalibus medicamina possint infundi, et ideo se solli
citum esse circa aegrorum salutem, ne forte neglegentia aliqua medici
nae gratiae effectu careret, et bonae voluntatis suae; Fide ergo et vi
gilantia sua omnem offensionem neglegentibus amputat, ne horum
forte se gratia occasionem offensionis pareret. Discipulis ac per hoc
libere esse significant, quia quod salutare est simpliciter omni instan
tia praedicant; Unde subiecit, ne vituperetur ministerium nostrum;
Vituperetur enim ministerium ipsorum si ea quae verbo docebant ope
ribus suis ut fierent exempla non darent; Sed in omnibus commendantes nos
met ipsos ut dei ministri; Sine adulatione docent, ut ei cui minis
tri sunt placeant, non sicut pseudo apostoli, scientes non se a deo missos praesenti
utilitati studebant. In multa patientia; Patientia est quae salvet
homines; Nisi enim patientia abusus esset, quomodo salvasset Co
rinthios, quos post praedicationem suam tantis vitiis morum et erroribus
diversarum sectarum invenerat involutos; Quos patientia sua
paulatim ad veram doctrinam revocat in pressuris pressuras pertulit sci
ens quid a deo promisisset promissum; In necessitatibus; Necessitas erat etiam
in pressura positum docere quia a deo erat missus; In angustiis; Spe
futuri angustiatus perfidorum oppositionibus non cessit; In plagis.
A iudaeis et gentibus caesus frequenter, non tacuit gratiam Christi; In car
ceribus; Saepe in carcere missus contempta salute sua etiam illic dei donum
praedicavit; In perturbationibus, in tantum deo devotus erat, ut nec per